



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae**

Cvm Variis Indicibus

De Deo Effectore Creaturarvm Omnium. In tres præcipuos Tractatus  
distributa. Quorum primus De Angelis

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1621**

II. Vtrum voluntas Angeli actibus suis libera sit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84413)

CAPVT II.

Vtrum voluntas Angeli in actibus suis libera sit, seu an in Angelis sit liberum arbitrium.

1. Introductio questionis.

Quoniam libertas arbitrii fundamentum est totius boni, & mali, meriti, & demeriti, salutis, ac gratiae, vel perditionis, ideo priusquam de gratia, & de lapsu Angelorum dicamus, de ipsorum libertate aliquid in praesenti praemittendum est. Nam libertas propria est formalis proprietates voluntatis. Et ita de illa disputauit D. Thom. dicta quest. 59. art. 3. & 2. contra Gent. c. 48. & Alenf. 2. p. q. 29. per totam. & q. 72. membr. 3. art. 3. Et alii cum Mag. in 2. dist. 7. & 25. In hoc vero capite, quae sunt communia Angelo cum homine, breuiter praemittemus, postea nonnulla Angelorum propria expediemus.

2. Prima assertio affirm. de fide.

Primo igitur certum est, voluntatem Angeli esse liberam, seu, quod perinde est, in Angelo esse liberum arbitrium. Hoc de fide certum est. nam sumitur ex Scripturis docentibus Angelos esse capaces praecipii, & peccati, seu culpae moralis, propter quam poenam merentur, assequi capaces sanctitatis, iustitiae, & meriti apud Deum, vt in lib. 5. & sequentibus videbimus. Fundamentum autem omnium illorum est liberum arbitrium, vt in principio doctrinae de gratia ostendimus, & agendo de Anima aliquid addemus, nostrae animae libertatem ostendendo. Propter quod Patres communiter etiam de Angelis in speciali hanc veritatem tradiderunt.

3. Probatur etiam ex Patribus.

Leo Papa epist. 93. ad Torib. cap. 6. & Gelaf. Papa disp. contra Pelagium, ante medium, quae habetur in tom. epist. Decretal. post eius epist. 5. Basil. lib. de sancto spir. cap. 16. Habentes (inquit de Angelis sanctis) in eligendo liberum arbitrium, nunquam ab eo, qui vere bonus est, consortio excident. Et de malis ait: Quorum defectio comprobatur, quod dicimus, virtutes inuisibiles esse sui arbitrii. Et ex eodem effectu colligit Nazianz. Orat. 28. in Christi Natiuitatem, Angelos non esse omnino immobiles, sed regere mobiles ad malum. Damasc. vero lib. 2. cap. 3. Angelum definit, dicens: Est Angelus natura sua intelligens, arbitrii libertate praeditus, voluntatis, ac sententiae ratione mutabilis, &c. hoc est, liberam in vtramque partem voluntatem habens. Et rationem subdit, id omne quod ratione vitur, libertate quoque praeditum est. Quod late profequitur, & similia repetit cap. 27. dicens, ex virtute consultant in intellectu sequi potestatem eligendi in voluntate, & ideo communem esse Angelo, & homini, eo ipso, quod in intellectu, seu ratione conueniunt. Et fere idem prius docuerat Gregor. Nyssen. lib. de Orat. Domini p. 4. loquens enim de angelica, & humana natura, inquit, Boni & honesti studium aequaliter vtriusque naturae essentia simul inscum, & attributum est. Plenamque item, ac summam in sese potestatem, & ab omni necessitate liberam voluntatem in vtriusque partem vniuersarum praesens fecit, vt animi libero quodam arbitrio, atque proposito regatur, quod quid ratione pariter, ac mente honoratum est.

4.

Praeterea D. Augustinus lib. 22. de Ciuit. cap. 1. dicit Deum in mundo nihil melius creasse, quam spiritus. Quibus, ait, intelligentiam dedit, & infra: Qui liberum arbitrium eidem intellectuali naturae tribuit tale, vt si vellet de se recedere Deum, continuo miseria esset secutura. Et ita lib. 11. cap. 32. & lib. 13. a principio, dicit Angelos bonos, & malos non natura, sed actibus a libero arbitrio prodeuntibus fuisse diuisos. Quod etiam ex eius doctrina habetur in libris de Ecclesiasticis dogmatibus. cap. 59. & sequentibus. Et Fulgent. de fide ad Petrum, cap. 3. Angelorum, ait, naturalis mutabilitas (vtrique per libertatem) in eo cognoscitur, quod pars eius est in deterius commutata. Et de sanctis Angelis ait, vt eorum dilectio laudem haberet voluntatis, eis tribuit libertatem. Et infra Suarez de Angelis.

dicat, & que Angelis, & hominibus datam esse libertatem. Vnde Gregorius hom. 7. in Ezechiel. versus fin. Natura angelica, inquit, quando creata est, liberum arbitrium accepit, virum vellet in humilitate persistere, &c. Et in eodem sensu Ilicor. lib. de summ. bono, cap. 10. dicit, Angelos esse naturam mutabiles, vtrique per libertatem, vt exponit. Et late Anselm. lib. de casu diab. cap. 3. & sequentibus. Et Prosper lib. 1. de vita contemplat. cap. 3. Et Rupert. lib. vlt. de operibus Spiritus sancti, qui est de timore Dei, cap. 7. Omnes Angeli, ait, cum libero arbitrio conditi sunt, & sic bene constituti, vt in melius proficere haberent. Idem Laurent. Iustin. serm. de sancto Michael. Hugo de Sancto Vict. in summa eruditio. Theod. tract. 2. cap. 2. D. Thom. art. 3. Et reliqui Theologi id supponunt in 2. distinct. 7. 22. & 23. quos postea referemus.

Ratio a priori iam a Patribus tacta est, quia libertas arbitrii sequitur intelligentiam, seu rationem, sed Angeli habent perfectam rationem, seu intelligentiam, ergo & libertatem. Maior constat in primis inductione, quia suprema intellectualis natura, quae est diuina, eo ipso quod intellectualis est, libera est, infima etiam rationalis natura, quae est humana, libertatem habet, cuius radix est ratio, ergo idem dicendum est de omni natura media intellectuali. Probatur consequentia, tum quia eandem habet radicem libertatis, tum etiam, quia vel libertas pertinet ad perfectionem naturae intellectualis, vel non, si non pertineret, in Deo non esset, si vero pertinet, quo natura intellectualis fuerit perfectior, eo magis libera erit.

Dices, hoc argumento probaretur non posse Deum facere naturam intellectualem, quae libera non sit, quia si fieri potest, ponamus esse factam. Tunc ergo in illa creatura ratio facta deficeret, ac subinde, nec nunc erit efficax, quia sub eadem forma non concludet, & ratione solius materiae, non potest efficaciam habere: tum quia medium in quo illatio fundatur, ponitur vt adaequata radix libertatis, aliter friuola est collectio, tum etiam quia si aliud est possibile, nemo scire potest, an natura angelica talis sit. Ergo ratio necessario supponit, non posse fieri creaturam intellectualem non liberam. Consequens autem videtur falsum, quia sicut Deus creauit voluntatem determinatam ad bonum in communi, ita posset creare voluntatem aliquam determinatam ad certum bonum in particulari: nam in hoc nulla apparet implicatio. Neg. de sunt qui hoc esse possibile existimant.

Nihilominus respondeo concedendo sequelam, & ad probationem dico in primis, inuolui repugnantiam, cum dicitur voluntas natura sua determinata ad vnum bonum ex necessitate volendum, semper, ac necessario, & in particulari, & ab intrinseco, tota enim haec determinatio, necessaria est, vt potentia non sit libera. Quia ad aliquod obiectum primarium potest esse voluntas determinata simpliciter, & circa alia esse libera, vt est diuinitatem ad obiectum consummum, & abstractum creata voluntas potest esse determinata, saltem quoad specificationem, salua libertate, quoad alia, vt est per se notum. Item ab extrinseco necessitari, non est contra naturam voluntatis, licet sit supra illam. At vero totalis determinatio intrinseca destruit naturam voluntatis. Quia de ratione voluntatis est, vt ex se sit potentia indifferens. Veruntamen ne principium petere videamur, addimus, repugnare potentiam appetentem consequentem facultatem cognoscentem rationalem, non esse natura sua liberam. Quia sicut necesse est potentiam rationalē, seu intellectum esse potentiam vniuersalem attingentē ipsum ens, & omnes rationes entis, ac boni, & differentias, ac gradus eius: ita etiam necesse est, vt appetitus consequens rationem sit potentia vniuersalis habens pro obiecto adaequato bonum, & tendens in vnum quodque bonum secundum gradum eius, in qua vniuersalitate, & indifferencia libertas consistit. Nec

5. Ratio a priori.

6. Obiectio contra proximi, nam ratio nem.

7. Responso.

Responso probatio a priori.



hoc repugnat omnipotentæ diuinæ, quia ad illam non spectat, ita rerum naturas immutare, ut faciat contrarium, quod non est, vel quod naturæ repugnat, quia hoc in terminis repugnantiam inuoluit, sed ad potentiam Dei spectat, uti natura prout voluerit, & finire, vel non finire illam suos motus operari.

8. A posteriori etiam optime confirmatur hæc veritas, quia de facto nulla creatura intellectualis creata habet illam determinationem appetitus eliciti, sed quilibet capax facta est omnis boni secundum varias species eius, ergo signum est talem determinationem pugnare cum natura appetitus rationalis, qui voluntas dicitur. Probatur consequentia, quia vel illa determinatio esset ex perfectione, vel imperfectione, primum dici non potest, quia libertas ad perfectionem simpliciter pertinet, & est in Deo: tum etiam, quia licet in gradu intellectuali possit Deus facere species perfectiores, non tamen potest facere substantiâ altioris gradus, quæ sunt Angeli, libertas autem sequitur ad ipsum gradum intellectualem ut sic, non ex hac, vel illa perfectione eius specifica, ergo quantumcumque in perfectione crescerent species angelicæ, nunquam aliud genus voluntatis haberent. Si autem illa determinatio ex imperfectione proveniret, oporteret esse contra gradum rationalem, quod est contra hypothesim. Assumptum patet, quia in gradu rationali homo habet infimum gradum, & talem determinationem non habet.

*Implicat substantia altioris gradus, quam sunt Angeli.*

9. Secundo dicitur, voluntatem Angeli in exercitio suorum actuum esse naturam suam liberam. Solent distinguere Theologi duplicem modum libertatis contradictionis, & contrarietatis: priorem vocant quoad exercitium actuum, posteriorem vero quoad specificationem. Et quoniam in utroque explicando peculiare difficultates occurrunt, de singulis oportet prius ostendere in voluntate Angeli reperiri. Igitur assertio posita nunc indefinite accipienda est: non enim asserimus in omnibus actibus voluntatis Angeli hanc libertatem inueniri, id enim postea inquiremus, sed conuenire absolute ipsi voluntati, quod

*Vnde probetur assertio.*

assertio sequitur necessario ex præcedenti, quia usus libertatis primus, & maxime necessarius est quoad exercitium actuum. Nam actus potest esse liber quoad exercitium, licet non sit liber quoad specificationem, ut patet in amore boni in communi: non tamè potest esse liber quoad specificationem, nisi etiam sit liber quoad exercitium. Ratio est, quia si actus sit necessarius quoad exercitium, eo ipso est necessarius quoad speciem, imò etiam quoad individuum. Quia actus non exercetur nisi in determinata specie, & individuo, & circa determinatum obiectum, & cum definitis circumstantiis, ergo si determinatio ad actum est necessaria quoad exercitium, est determinatio ad talem actum particularem, & talis obiecti, ergo cum tali necessitate quoad exercitium actuum, non stat libertas quoad specificationem in eodem actu. Ergo è contrario, ut actus possit esse liber quoad specificationem, oportet ut etiam quoad exercitium liber sit. Ergo ut sit potentia libera, ad minimum necessarium est, ut quoad exercitium libera sit. Deinde hoc etiam probant testimonia, & rationes in priori assertione adductæ: & ideo in hac secunda, in hac generalitate sumpta, nulla est occasio dubitandi.

10. Tertia assertio. Voluntas Angeli est etiam libera quoad speciem.

Dico tertio, voluntas Angeli etiam est libera quoad specificationem actuum. Hæc assertio, sicut & præcedens, indefinite ponitur, non enim est necesse in omnibus actibus voluntatis Angeli hunc modum libertatis reperiri. Potestas autem sic operandi necessaria est voluntati. Et sic facile probatur assertio, quia non solum potest Angelus velle, & non velle ali-quod obiectum, quod pertinet ad libertatem contradictionis, seu exercitii: sed etiam potest velle hoc, vel oppositum eius, ut potest velle quiescere, aut moveri, loqui, vel tacere, & similia in quo consistit liber-

tas contrarietatis. Ratio vero huius libertatis est, quia in his particularibus obiectis possunt inueniri rationes boni, & mali, conuenientis, & disconuenientis: & ideo etiam voluntas pro sua libertate potest hæc in particulari amare, vel refutare. Et in his maxime versatur amor, quæ D. Thomas dicit q. 60. art. 2. electiuum vocat. An vero hæc libertas naturalis Angeli quoad specificationem inter quolibet particularia bona versetur, & quas conditiones requirat, in c. 4. explicabimus. Nunc in generali hoc præmissis sufficiat.

CAPVT III.

*Vtrum voluntas Angeli semper, ac necessario aliquem exercereas.*

Priusquam de particularibus actibus dicamus, explicare opus est, an in voluntate Angeli necessitas quoad exercitium locum habeat circa totam collectionem actuum, quasi confuse, seu diiunctum sumptorum. Ita ut licet sit liberum Angelo non elicere hunc actum, vel illum, & sic de singulis definitis sumptis, nihilominus non sit illi liberum ab omni actu abstinere, & omnino nihil actu velle, & ideo in confuso necessitetur ad exercitium alicuius actus, licet determinatio ad hunc, vel illum sit libera. Vel potius intelligenda sit hæc libertas non solum circa omnes actus particulares, sed etiam circa totam actuum collectionem, ita ut liberum sit voluntati Angeli ab omni actu cessare. De hoc puncto fere nihil inuenio ab auctoribus dictum. Nam licet quidam Theologi ponant in Angelis necessitatem quoad exercitium in aliquo particulari actu, ut statim referemus: & inde sequatur, non posse cessare ab omni velle, quia ille actus necessarius, est quoddam velle, nihilominus tamen illa non est necessitas confusa (ut sic dicam) sed determinata, quæ vel re vera nulla est, vel quantum sit in vno actu, adhuc restat quæstio de collectione cæterorum actuum liberorum, an sit in ea libertas. Et de hoc puncto nihil fere dicunt.

Videri autem potest non posse dari in voluntate Angeli necessitatem ad exercendum aliquem actum indeterminatè, si omnis actus determinatus est liber quoad exercitium. Quia libertas (ut dicebam) non exercetur in confuso, sed in particulari: at contrarium, seu oppositum eadem est ratio, ergo etiam necessitas quoad exercitium, quæ libertati oppositur, non potest esse circa obiectum vniuersale, & confusum, sed circa aliquod particulare, ergo, si nullus particularis actus est necessarius, nec totum diiunctum necessarium est. Secundo quia eadem ratio libertatis est in tota collectione, quæ in singulis actibus inuenitur. Probat, quia sicut nullus particularis actus est necessarius Angelo ad bonum suum, ita etiam nec vnus, vel alius, & sic de reliquis diiunctum sumptis. Tertio, quia ad libertatem quoad exercitium sufficit potestas suspendendi actum per puram priuationem, seu negationem influxus, ita ut non sit necessarium, velle non elicere actum, sed satis sit non velle elicere, seu non elicere ex certa scientia, & potestate, ac dominio supra suum actum, seu influxum: sed voluntas est domina absolute sui influxus, ergo non necessitatur quoad exercitium, etiam ad totum diiunctum actuum sibi possibilem. Propter hæc ergo videtur hæc sententia probabilis.

Nihilominus contraria videtur probabilior. Ita tenet Ferrar. 3. contra Gent. cap. 109. §. Sed circa. & Ban. Prohib. nez quest. 60. dnb. vlt. post. conclus. & sumitur ex D. opina. Thoma quest. 16. de Malo, artic. 2. ad 2. vbi idem in hoc tractatu puncto de voluntate quod de intellectu sentit, & similiter 2. contra Gent. capit. 97. sub intellectu videtur comprehendere voluntatem, quantum ex eius ratio Probatur autè conclusio, quia prima max.